Reuerendo Viro pietate, doctrina, et Virtute praestanti D. Nicolao Amsdorfio domino et patrono suo colendo et obseruando.

S. D. Precor a Deo aeterno patre domini nostri Jesu Christi, ut huius noui anni auspicium et universae Ecclesiae, quae nunc vere sustinet dolores parturientis, et tibi qui doles super contritione Joseph, faustum, foelix, et salutare sit. Amen. Non soleo viris grauibus, qui Ecclesiam gubernant, missione mearum literarum molestus esse, cum intelligam vos longe maioribus cogitationibus implicatos esse. Sed quia non semel animaduerti meas qualescunque literas tibi, Reuerende pater, gratas esse, ideo nunc scribam audacius et de Lypsico conuentu, et de temporibus quae mihi curae sunt. Joachimus Camerarius non solum doctrina, sed etiam fide et pietate, ut opinor, praestans, ante paucos dies D. Stigelio epistolam misit, in qua haec verba leguntur: Actiones huius conuentus non modo non reprehendendae videntur, sed etiam fauorem

& approbationem recte iudicantium mereamur.
Praeclarum est enim in omnem partem culpa carere,
qua nostri adhuc carent. Haec ille. Moueor au
D. Francisci oratione, ut haec ita esse existimem.
Cum enim nuper apud nos esset, affirmabat
se vidisse ac legisse consilia Theologorum proposi
in conuentu Lypsico, eaque consentire cum his
cum alijs deliberationibus, quae sunt habitae in
Cellae etc. Hactenus pauca de conuentu
scripsi, quae ideo certa puto, quod ea a certis hom
inibus cognouerim. Nunc ad domesticam venio.
Nepotes tui ex fratre mandatis praeceptoris in discen
& regendis moribus diligenter parent & obediunt.
Quod si Deus umbra manus suae texerit hunc
nostrum homunculum, educabimus in eo multas
plantulas celebraturas ipsum ad omnem aeter
nitatem. Etsi autem de singulis bene me
reri studemus, tamen praecipua quadam cura
tuos nepotes complectimur, intermittere non

solum naturalis, sed etiam ciuilis obligationis, qua
Reuerendae vestrae paternitati deuincti sumus. Ea enim
quae discedenti recepimus atque promisimus, reipsa
comprobare conabimur, ut certum nostrae erga te
obseruantiae extet. Aeternum patrem domini
nostri Iesu Christi oro, ut Ecclesiam afflictam, &
miseris modis oppressam consoletur aut mitigatione
poenarum aut integra liberatione, & te clariss:
& optime meritum eiusdem Ecclesiae doctorem
diu nobis seruet incolumem. Amen. Salutem
vestrae dignitati reuerenter optat D. Stigelius collega
& Compater meus carissimus. Ienae .10. Januarij
Anno Christi 1549.

T. dignitatis studiosissimus
Victorinus Strigelius